



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Tycho Episc. 16. Junii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

16. Iunii. VITÆ SANCTORUM. 379  
râ, precibus ex aquâ vinum dedit; sibi  
per undas viam stravit: manibus Cæli-  
tum non semel ad suos per magna itine-  
rum spatia compendio est transportatus.  
Misniæ Marchionem, quo die alapam  
ab eo acceperat, hoc eodem, anno ver-  
tente, moritum dixit, & vatem fuisse  
mors minimè mendax ostendit. Claruit  
innumeris semper miraculis, tum præ-  
cipue, postquam Monachium Bojorum  
caput translatus est. Ibi ille pugnantem  
in se populi pietatem beneficiis quotidiana-  
nis certat vincere, certamine hoc etiam  
jucundiore, quod clientes vel victi  
triumphant. Ex Hieron. Emsero.

Cogita peregrinationis tuae miseriam,  
cogita vitæ humanae pericula, cogita fra-  
gilitatem propriam; & ejusmodi cogitatio-  
ne, si perseveraris, parum senties quic-  
quid foris videtur molestum. S. Bern.  
serm. de om. SS.

S. TYCHO EPISC. 16. Iunii.

Damus Euclionibus mancipiis pecu-  
niæ rei augendæ magistrum docto-  
remque gratissimæ artis, qua granaria  
frumento stipentur, numusque in arcâ  
crescat. T Y C H O I S e s t , ætate puer, sed  
cano sensu; avari parentis filius, multò  
tamen peritior pecuniariæ venationis,  
quod vel hinc intelligas. Pater oneratum  
panibus in forum miserat. Puer in-  
digna-

380 VITÆ SANCTORUM. 16. Junii.  
dignatus unciarium quæstum iis venditis  
rediturum, è merce stipem facit, eam-  
que in obvios pauperes effundit. Patri-  
æs reposcenti artificium suum aperit;  
panes apud Christum in fœnore positos,  
& quidem centuplicato, eam in rem se-  
syngrapham accepisse. Pater nulli rei  
præterquam oculis suis crediturus, pue-  
riliis fidei experimentum in horreis qua-  
fivit: & ecce tibi quæ pridie vacuefe-  
rat, importatum divinitus frumentum  
ægrè ceperunt. Eâdem facilitate cellas  
replevit. Aridum vitis surculum & pri-  
dem exsuccum humi depanxit, neque  
vitam illi modò; & germinandi vim,  
sed perpetui etiam gloriam miraculi con-  
tulit. Unus enim ille palmes, quo die  
anniversaria TYCHONIS memoria  
peragitur, sub initium rei divinæ liven-  
tes uvas ostentabat, quæ ante sacrifici-  
um finitum ad maturitatēm percoque-  
rentur, præcocem suo satori vindemiam  
præbituræ. Quid ad hæc avari? In scho-  
lâ Pluri negant recepta esse paradoxa  
Christi. Ex Menæis.

Quid reveris fluxum & fragile bonum  
facere sempiternum? aut thesauros tuos  
custodi Deo credere? ubi non furum prædo-  
nemque timeas, non rubiginem, non tyran-  
num? qui apud Deum dives est, pauper  
esse nunquam potest. Lactant. in Epit.  
Instit. c. 12.

SS. QUI-